



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Doct. Martini Lvtherii Avgvstiniani Theologi Synceri  
Lvcvbrationvm Pars Vna, quas ædidit usq[ue] in annum  
præsentem XX. Catalogum earu[m] uersa tibi pagina  
indicabit. Alio Tomo, Domino Volente, ...**

**Luther, Martin**

**Basileae, 1520**

**VD16 L 3411**

Capitvlvm Tertivm.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-34878**

reddendum est; immo omnia ei debent. Qui autē in Christum credit, & spiritu fidei, unus cū eo factus est; iam non solum satisficit omnib<sup>9</sup>, sed id quoq<sup>3</sup> efficit ut omnia sibi debeant, habens cū Christo omnia cōmunia. Peccata sua iam nō sua, sed Christi sunt. At in Christo, peccata iustitiam uincere nō possunt, sed uincuntur; ideo in ipso consumuntur. Rursum iustitia Christi, iam nō tantum Christi, sed sui Christiani est. Ideo nō potest ulli debere, aut a peccatis opprimi, tanta fultus iustitia. Hęc est illa inestimabilis gloria christianorum. Hęc in effabilis diuinę charitatis circa nos dignatio, qua tanta, tam pretiosa nobis donata sunt, pro quibus ne abijciantur merito sic æstuat Paulus. Vnde & hęc iustitia, dei iustitia uocatur. ut. j. Cor. j. Qui factus est nobis a deo iustitia & sapientia, & sanctificatio, & redemptio. Sic Rho. j. Non erubesco euāgelium, iustitia dei reuelatur in illa, ex fide in fidē, sicut scriptū est: Iust<sup>9</sup> ex fide uiuet. & Rho. x. Ignorantes iustitiam dei & suā quærentes statuere, iustitię dei nō sunt subiecti.

Christianorū gloria.

Iustitia dei.

Iustitia dei, fides & gratia.

Hęc est illa uox Psalmorum. xxx. In iustitia tua libera me, non mea utiq<sup>3</sup> quę ex lege est, & peccatum est. Et iterum. xliij. Exaudi me in tua iustitia. Et lxxj. Deus iudicium tuum regi da, & iustitiam tuam filio regis. Orietur in dieb<sup>9</sup> eius iustitia, & abundantia pacis. Et. xcvij. Iudicabit orbem terrarum in iustitia & quid multis? Iustitia dei in scripturis fere semper pro fide & gratia accipit, rarissime pro seueritate, qua damnat impios, & liberat iustos; ut nunc passim usus habet. Quod si iustitia fidei, dicenda est, reddere unicuiq<sup>3</sup> qd suū est ex nobis ipsis, potius intelligitur id facere per cessionem (ut uocāt) omnium honorū quo modo docuimus Lucę. xliij. in parabola ædificantis turrim, & pugnatūri cōtra fortiorē se docet. Hi em̄ ædificant turrim (exemplo eorum, qui Babylonię turrim cœperunt) qui suis uiribus freti, per opera legis se se quærent iustificare, & saluos facere. Et occurrunt Christo iudici futuro robustissimo, cum pauculis operum copijs. Quibus consultit, ut primum sumptus supputent; & inuenient, quod non possint; ideo relictis omnibus, sapientię, uirtutis, iustitię præsumptionibus, adhuc illo longe agente, rogent pacem, desperantes de se ipsis; & se in misericordiam uenturū regis, plena fide proijciantes. Sic enim conclusit eandem parabolam. Sic omnis ex uobis, qui non renunciauerit omnibus, quę possidet, non potest meus esse discipulus; hoc est, non eris Christianus, nisi sola fide nitaris, tuis iustitijs penitus reiectis.

Cedendū bonis nostris.

NOTA.

## CAPITVLVM TERTIVM.

**O** Insensati Galatę, quis uos fascinoit non obedire ueritati.

Nunc ad Galatas reuertitur. Nam hucusq<sup>3</sup> cōtra Petrum dixisse, diuuo Hiero. putatur. Verū an oīa ista, præ sente Petro effuderit, nescio.

Ego diuinarem, ab illo loco: propter quod non iustificatur ex operibus legis omnis caro, desisse cū Petro loqui. Quia repetit, quod paulo superius ad Petrum dixisse se scribit; scientes, quod non iustificat homo ex operibus legis &c. Atq<sup>3</sup> iā ab isto loco, cum Galatis deinceps disputare, & reliquis argumētis opa legis confutare. Tamen esto unicuiq<sup>3</sup> hic suum iudicium. Igitur Paulus totus æstuans pio zelo, & si totam epistolam fere argumentis & confutatiōibus repleuerit, immiscet tamen aliquoties exhortationē, obiurgationē, nōnunq<sup>3</sup> & eadē repetēs inculcat, oīa tētans p̄ Apostolica sollicitudine, insensatos, stultos, amētes eos uocat: autore Hiero. Vel qd regionis pprietate eos pulsar; sicut ad Titū Cretēses mēdaces, & als gētes, alijs uirij notat; ut q̄ a maiorib<sup>9</sup> ad minora uenerant.

Pia & feruēt apostoli sollicitudo.

nerant, ac uelut repuerascere coeperāt, ad pædagogum legis reuerſi. Et hoc magis mihi probatur; nā in ſequentibus de elementis, de pædago, de hærede par uulo diſputat; manifeſte eorum ſtultitiā ac puericiam taxans. Hoc & uerbū faſcinauit, oſtendit, Pueris enim & etati paruulæ, ut idem Hiero. ait, diciſe proprie faſcinus nocere. Eſt autem faſcinare, aſpectu malefico lædere: ut Virg. Neſcio quis teneros oculus mihi faſcinat hagnos. Hoc utrū uerū ſit, nec ne, deus uide rit, inquit Hiero. Quia poteſt fieri, ut dæmones huius peccato ſeruiant.

Faſcinare.

Ego credo hunc eſſe morbum infantulorum, quæ mulierculæ noſtræ uulgo die elbe, ſeu, das hertzgeſpan, uocant quo uidemus infantes tabeſcere, macreſcere, ac miſere torqueri; aliquādo inceſſanter clamare & flere. Cui morbo, rurſum neſcio quibus literis & ſuperſtitionibus, tentāt occurrere. Creditū eſt em̄, ab inuidis illis, & maleficis uetulis, ſi cui formoſulū infantulū matri inuideant, talia fieri. Vnde & uerbum græcū, non tantū faſcinare, ſed & inuidere quoq; ſignificat, teſte Hiero. Ita & Galatæ, cum eſſent in Chriſto, quaſi modo geniti infantes, & feliciter creſcerent, a pseudapostoſis faſciantibus ſint læſi; & ad legis macredim, immo miſeriam, tabeſcentes reducti. Et ſatis pulchra ſtat ſimilitudo. Nam ut faſcinator diros figit in infantem oculos, donec noceat: Ita peſtilens doctor, figit oculum ſuum nequā, id eſt, ſapientiam ſuam impiam, in ſimplices animas donec in eis ueram intelligentiam corrumpat. Oculum enim, ut Lucæ. xj. in ſcripturis, doctrinam, cognitionem, etiā ipſum doctorē ſignificat, ut Job. xxxj. oculus ſui cæco. Et, ſi oculus tuus ſcandalizat te &c. Hi ſunt quos ſcriptura doloſos, illuſores, mentiumq; deceptores uocat Pſal. j. In cathedra peſtilentiæ nō ſedit. heb. in ſeſſione illuſorū. Prouerb. iij. abominatio eſt domino omnis illuſor, & cū ſimplicibus ſermocinatio eius. Sed hic inſurgit quæſtio: An apoſtolus hoc loco, credendus ſit approbare, facinum eſſe aliquid. D. Hierony. putat eſſe uſum ſermone triuij, & ex opinioe uulgi exemplū ſumpſiſſe: nō quod faſcinū eſſe ſcierit. Quo modo & non nulla alia, ex gentium fabulis in ſcriptura alluſim uident: ut arctūrus, orion, pleiades in Job: ſyrenæ, onocentauri piloſi apud Iſa.

Pulchra ſimilitudo.

Oculus in. S. lucris.

Quæſtio de faſcino, an ſit aliquid.

Ego (ut dixi) credo maleficas illa, opera demonū deo permittente, uere infantulis nocere poſſe, in poenā infidelium, & in probationem fidelium: cū & multa alia, ut euident̄ eſt experiētia, noceant, tã in corporibus hominū, q̄ pecorū, omniumq; rerū. Atq; hæc Apoſtolum non ignoraffe.

Ante quorū oculos Chriſt⁹ Ieſus ꝑſcript⁹ eſt, & in uobis crucifix⁹.

D. Hierony.

Varie hunc locum uideo tractari. D. Hiero. ꝑſcriptus intelligit: Quod Galatæ Chriſtum crucifixum, nō modo apoſtolorum uoce, ſed ex ſcripturis quoq; prophetarum cognouerint; & ſic ꝑ & ante ſcriptū cognouerint, q̄ dictū ſeu ꝑdicatū. Et iſta gemina eruditione ſcripturæ & uocis ſſimati, non debuerant utiq; a Chriſto deſciſcere. B. Ambro. quem Lira ſequit̄, arbitrat̄ Galatis, quia in opera legis cōfidebant, Chriſtū eſſe ꝑſcriptū, ut luris̄ de ꝑſcriptione loquuntur: id eſt, eiectū, damnatū, & exulē factum. B. Auguſt. ꝑſcriptus legit. Et ſicut poſſeſſio amittitur ꝑ alterius ꝑſcriptionē: ita Chriſtus amiſerit Galatas, ꝑſcriptus ſcilicet a pseudapostoſis. Nulla harū me capit. Eraſm⁹ ſed & Stapuleniſis non diſſimiliter, ſic accipiunt Chriſtum, uiſſe, uelut in pictura Galatis ꝑſcriptū, & depictū: ita ut maniſeſtiſſime cognitū haberēt, & tñ nūc faſcinati & illuſi, eū nō agnoſcāt. Sic em̄ ſolēt incantamētis & ꝑſtigis capti, nec id cernere, quod in oculis maniſeſtiſſimū eſt, & id uidere, quod nuſquā eſt.

B. Ambro.

B. Auguſt.

Et hui⁹

Et huc uerbum græcum prographie patrocinari uidetur sensui. Id autē me mouet, quod Christum in aliquo crucifigi, nūquam in bonum accipitur in scripturis: sicut Heb. vj. Rursus crucifigentes in semetipsis filium dei. Et supra non ait: Crucifixus est in me Christus, sed uiuit in me Christus. Hic autē dicit, in uobis crucifixus, utiq; hoc gemēs & æstuans. Quod Christus nō uiuit, sed mortuus in eis est: hoc est, fidem eius per legis iusticiam, in eis extinctā esse.

*πρωτοπαρον*  
Christū in ali  
quo crucifigi

Proinde si auderē, diuinationē meam hāc diuinarem. Primum, uerbum Præscriptus, siue de scriptura, siue pictura accipiatur, probō, ut sit præscriptus, quod coram positus, & ad oculum monstratus: nam ideo addit, ante oculos, ut exprimat hunc sensum. Deinde deleta coniunctione, & (ut in græco) sic stet textus: Quibus in oculis, seu ante oculos, Iesus Christus præscriptus est, in uobis crucifixus: hoc est: Ecce uos ipsi cernitis, & argumentis prædictis effectum est a me, ut clarum, & in oculis uobis depictum & ante scriptum sit, Iesum Christū esse in uobis crucifixum. Hunc esse sensum, si præcedentia, immo totius epistolæ argumentum attendas, credo non negabitur: præmiserat enim: Non abijcio gratiam dei: uiuo non ego. Item, si ex lege iusticia, iam Christus gratis mortuus est. Quæ omnia eo tendūt, quod Christus sit in his crucifixus (sicut in iudæis) qui cunq; non in eum, sed in seipos, ac legem confidunt. Nam tunc est abiecta gratia dei, non uiuit in eis Christus. Quid ergo restat, nisi quod sit mortuus, & crucifixus in eis? Utitur autē apostolus pro æstu suo uerbis epistolæ multa ardentibus, & uelut impetuosus. Ante oculos præscriptus (inquit) quasi di. nescio quo modo clarius monstrare possem. Deinde non solū nomē Christi, sed Iesus Christus, si non in uobis, qui tanti fuistis: & leuius erat, mortuus, aut passus, aut infirmus, sed atrociter crucifixus (inquit) in uobis: ignominiosissime scilicet a uobis tractatus. Obsecro qd faceret, si & modo uideret in ecclesia, legibus hominū Christum etiam plusq; crucifigi: Nempe illud, quod Actu. xx. cū lachrymis intrabant post discessionē meā lupi rapaces in uos, nō parcentes gregi &c.

Diuinitio  
Lutheri

Nora pōdus  
scripturæ.

Hoc solum a uobis uolo discere, ex operibus legis spiritum accepistis, an ex auditu fidei.

Vide q̄ efficaciter tractet locum ab experientia. Quid enim hic prætexent sint cætera (inquit) infirma argumenta, quibus usus sum: quid hic dicetis? hoc solum docete, age sim hic discipulus uester in operibus legis, qui uersati estis: dicite, si unquā spiritū acceperitis, donec me prædicante Christum, crederetis? Sic cum fiducia insultans, ac iam uelut insolubili uinculo obstrictis, dicit:

Sic stulti estis, ut cū spiritu cœperitis, nunc carne cōsummamini.

Apparet autem ista ab apostolo scripta ijs, qui ex iudaismo crediderāt, & prius in operibus legis uersati fuerant: Deinde spiritum sanctum uisibili signo acceperant, sicut tunc dabatur: alioquin non satis urgeret hic locus. Aut certe mixtim gentibus & iudæis scribit. Sed gentibus, quæ a iudæis antea in legem tractæ fuerant. Nisi dixeris apostolum loqui de operibus legis, in quæ relapsi fuerant a fide Christi quod sane mihi probabilius est. Nam ab apostolis falsis non accepisse eos spiritum, sicut acceperant per Paulum antea, satis certus erat.

Quod autē D. Hiero. hoc loco discernit opera legis ab opib; bonis, & Cornelium ex operibus spiritū accepisse putat, Act. x. sane nō credo: cū clarū sit ad prædicationē Petri, hoc est, ad auditū fidei (ut hic dicit) cecidisset sup eos spiritū sanctū. Neq; etiā Abraham, Moses, & cæteri sancti (sicut conat) ex opibus legis naturalis

Sola fides iu-  
stificat, & bo-  
na opa facit. ralis iustificati sunt, sed ex fide; ut hic, & Rho. iij. scribitur. Apostolus non le-  
gem ceremoniam tantum, sed omnem prorsus legem notat. Quia cum sola  
fides iustificet, & opera bona faciat, sequitur, quod nulla prorsus cuiuscumque legis  
opera iustificent; neque bona sint opera ullius legis, sed tantummodo fidei.

Admonet le-  
ctorem Hiero-  
nymianum. Hæc autem attuli, ut lectorem Hieronymianum monerem id, quod ipsemet po-  
stulat, & in prologo suo & epistola ad b. August. scilicet commentarios a se esse  
scriptos, in quibus usus est, referre aliarum sententias, & lectoribus liberum iudi-  
cium relinquere. Hoc enim, cum non pauci theologi & iuris periti non obseruent  
aliquando monstra sententiarum sequuntur, pro domestica ecclesie doctrina.

Auditus fidei. Illud autem Auditus fidei, pulchre Erasmus (ut oia pro ipso audibili, pro ipso  
(ut inquit) sermone, qui auditur: ut sit auditus fidei, id quod uerbum fidei auditum  
Act. x. Adhuc loquente Petro uerba hæc, cecidit spiritus sanctus super omnes,  
qui audiebant uerbum. Sic Isa. liij. Dñe, quis credidit auditui nostro? Et Abacuc  
ij. Domine, audiuisti auditionem tuam, & timui. Item frequens hic tropus scripture  
ut Hiero. xlix. Abdia. j. Auditum audiui a domino &c. Sed hic rursus la-  
borat d. Hiero. Vnde surdi fiant Christiani, presertim quando Rho. x. dicit, Quo  
modo audient sine predicante? Quomodo credent, quem non audierunt? Et,  
ut habet illic gradatio apostoli. Primum est mitti, deinde predicari, tum audire, tum  
credere, tum inuocare, & sic salutem consequi. Adhuc ego, quomodo infantes salui fuerunt  
& baptisantur: cum & ipsi non audiant. Respondet primum, quod fidem ex auditu  
esse, & in parte & in toto accipi potest: sed hoc euincit Paulus. Quomodo (in-  
quit) credent, quem non audierunt? Deinde quod aliorum gestu & conuersatio  
ne possunt surdi euangelium discere. Sed ubi infantes? Igitur quod notissime  
sentit, sequor: scilicet, quod uerbo dei nihil surdum est: & ad eas loquitur aures,  
de quibus dicitur. Qui habet aures audiendi, audiat. Hanc responsionem for-  
titer amo, eo quod nec in adultis & audientibus, uerbum dei audiat, nisi intus spiri-  
tus incrementum det. Ideo uerbum uirtutis & gratie est, simul dum aures pulsar,  
intus spiritum infundit. Quod si spiritum non infundit nihil differt audientis a surdo  
Quocirca ipse sonus uerbi, ministerio ecclesie super infantem prolatus, eo faci-  
lius operatur per spiritum, quo paruulus uerbi est capacior, id est, patientior, nul-  
lis rebus alijs implicatus. Potentissime ergo Paulus hic confodit opera legis,  
tum etiam nostrorum Theologorum somnia, qui meritum congrui inuenerunt  
ad gratiam obtinendam. Verum apostolus dicit, non operibus, sed auditu uer-  
bi, hoc est, si patiaris uerbum quiescas tu: & sabbatum domini a tuis operibus ferieris, ut  
audias quid loquatur in te dominus deus tuus. Ideo signabis hoc Pauli me-  
morabile documentum. Si uis gratiam consequi, id age, ut uerbum dei uel au-  
dias intente, uel recorderis diligenter, uerbum inquam, & solum uerbum est ue-  
hiculum gratie dei. Nam quæ tu opera congrui uocas, aut mala sunt, aut gra-  
tiam iam uenisse necesse est, quæ illa operetur: stat fixa sententia, ex auditu fidei  
accipi spiritum. Hoc modo acceperunt spiritum, quicumque acceperunt. Tu ergo  
ne tibi propriam fabrices machinam consilij, reiecto consilio dei. Obserua, car-  
ne consummari dicit: hoc est, finire, desinere, deficere. Ex quo loco claret, carnem  
non modo pro sensualitate, seu concupiscentijs carnis accipi, sed pro omni eo,  
quod extra gratiam & spiritum Christi est. Nam certum est, Galatas non ideo  
consummari carne, quod luxurias, libidines, aut quibuscuque moribus carnem  
sequerentur. Sed quod opera legis & iustitiam, relicta fide, quærerent. At iustitia  
& opera legis non sunt tantum res sensuales, cum huc etiam pertineat opinio & fidu-  
cia, quæ in corde sunt. Quicquid igitur ex fide non est, caro est, Heb. ix. In ua-  
rijs iustitijs

Gradatio  
apostoli.

NOTA.

Meritum con-  
grui.

Verbum au-  
dit.

Caro.

rijs iustitijs & baptisimatibus carnis. Sic Gen. vj. Nō pmanebit spiritus meus in homine, quia caro est. Nō ait, quia carnem habet, sed quia caro est. Et Rho. vij. Nō inuenio in me, hoc est, in carne mea bonū. Idem ergo ipsemet & caro sua, quantū est ex Adam. Sic iterū. Caro & sanguis regnū dei nō possidebunt. Et Matth. xvj. Caro & sanguis nō reuelauit tibi. Sed & j. Corint. iij. adhuc (inquit) carnales estis, homines estis: cū tamē de aploꝝ nominibus certarēt. Qui bus sit, ut omnis omniū hominū, philosophorū, oratorū, etiā pontificū doctrina & iustitia carnalis sit, ubi nō fidem docent. Et satis abusiue sacros Canones dici, qui de dignitatibus & opibus statuūtur, intelliges, si hic apostolū audias.

Doctrina  
carnalis.  
Canones  
facti.

NOTA

Rursum nihil tam carnale est, & externū, quin si operatore fidei spiritu fiat, spirituale sit. Consummant ergo Galatæ carne, dum affectum & opinionē accipiant operū legis quorumcūq; præsertim relicta fide. Quod autē Orig. & d. Hierony. triplicē hominē ex apostolo colligit, Spirituale, animalē (quē neutralē & mediū intelligit) & carnalē: infra forte uidebimus, quid sentiendū sit.

Tanta passi estis, sine causa, si tamen sine causa.

Varie hunc locum d. Hiero. enarrat, sed breuiter unam sententiā sequor. Quod Galatæ, cum bene current in fide Christi, multa fuerāt passi, præsertim a iudeis: qui nullū Christianum non persequebantur: ut in Actibus apostolorum, & multis epistolis Pauli patet. Quæ tamen frustra passi sunt, si in legem recedentes, permanserint extra fidem: tamē quia sperat eos redituros, dicit: si tamen sine causa, quasi dī. si redieritis, nō frustra passi fuistis. Arguit enim ab eorum damno, & frustraneo labore, ut cōmoueat eos, quia p legem non modo a iustitia Christi, sed & ab omnibus illius meritis & præmijs simul exciderint.

D. Hierony.

Qui ergo tribuit uobis spiritum, & operatur uirtutes in uobis: ex operibus legis, an ex auditu fidei.

Subaudi, tribuit & operatur. Repetit autē, & inculcat quæ iam supra dixerat. Examinat enim experiētiā, qua fortissime eos stringit, simul ut addat, & sequentiā subiungat. Prius enim solum spiritum acceptum, nunc & operatio nes uirtutum opponit: hoc est, miracula, quæ ex legis operibus sese prius operatos non fuisse, non potuerunt negare.

Sicut Abraham credidit deo, & reputatū est illi ad iustitiam.

Hoc exemplum & argumentum late Rho. iij. tractat: ubi probat, Abraham ante circūcisionē credidisse, & hanc fidem sibi in iustitiam reputatam. Verisimile est & apud Galatas, eundem locū ab eo fuisse uocaliter explicatū; & nūc illos cōmonestieri, & reuocari ad priorem intelligentiam.

Cognoscite ergo, quia qui ex fide sunt, hi filij sunt Abrahamæ.

Cognoscitis ex iam citata scriptura: non ergo qui ex semine, aut ex circūcisione. Rho. iij. Et signaculum accepit iustitiæ fidei, quæ est in præputio patris nostri: ut sit pater omniū credentiū per præputiū, ut reputetur & illis ad iustitiam. Et. ix. In Isaac uocabitur tibi semen, id est, nō qui filij carnis, hi filij dei sunt sed filij promissiōis æstimantur in semine. Ex hoc loco uides, q̄ intente & obseruanter uelit scriptura legi. Quis enim hæc argumenta ex textu Genesis tra-

Scriptura at  
tente legēda.

xisset, quod Abraham ante circūcisionem credidit, quod Isaac non, nisi per re-  
promissionem obtinuit; Et in hoc significari, sicut Isaac acceptus est per fidem  
Abrahamæ credentis, pmittenti deo, & in semen ei uocatus: ita nullus sit alius, q̄

o o Abrahamæ

Abrahæ filius, aut semen, nisi pmissus, & fide acceptus; Et tam longe ante glori-  
 am iudæorum fuisse contusam, qua de carne gloriantur patrum: Tropus ille  
 (esse ex fide, esse ex operibus) credo satis iam notis sit. Sunt ex fide, qui credunt  
 & infra. Sunt ex operibus legis, qui operantur. Eiusdem generis sunt, esse ex le-  
 ge, ex circūcisione, & similia apud Paulum. Sed non seruat apostolus regu-  
 las dialēcticæ consequētię. Dicit enim, spiritum tributum, & virtutes factas ex  
 auditu fidei. Et hoc probat, quia sic Abrahæ fides est reputata ad iustitiam. Er-  
 go ne fidem reputari ad iustitiā, est spiritum accipere? Aut ergo nihil facit, aut  
 accipere spiritum, & reputari ad iustitiā, idem erit. Quod & uerum est, & ideo  
 refertur, ne diuina reputatio extra deum nihil esse putetur: ut sunt, quibus uer-  
 bum apostoli gratia, magis fauorē q̄ donum significari putatur. Nam fauente  
 & reputate deo, uere accipitur spiritus, donum, & gratia. Alioquin ab æterno  
 gratia fuit, & intra deum manet, si tantūmodo fauorē significat, eo quo in ho-  
 minibus modo fauor est. Deus enim sicut diligit re ipsa, nō uerbo tantum: ita  
 & fauet re præsente non tantū uerbo. Nec ista ratio consequentię uidetur ali-  
 qua esse, quod dicit, Abraham credidit, ergo qui ex fide sunt, filij Abrahæ sunt.  
 Posses eadem dialēctica dicere: Abraham genuit ex uxore filium, aut come-  
 dit, aut aliud fecit; ergo qui idem facit, est filius eius. Deniq̄ iudæis sua senten-  
 tia firmabitur. Abraham est circūcisus, ergo circūcisus erunt eius filij. Verū  
 apostolus ad Abraham respicit, quando Isaac (qui ei solus in semen promitte-  
 batur) fidei merito obrinuit. Non enim de fide cōmendatus est, quādo Ismael  
 genuit; sed tunc pater fidei institutus est, & multarum gentium, quando uerū  
 filium suum & legitimum semen accepit. Ideo Isaac nō tam carnis, q̄ fidei filij  
 us est. Abrahæ caro non potuit, sed fides Abrahæ eum genuit, tamen ex carne  
 sua. Quare non tam Abrahæ, q̄ credentis deo promittēti filius est. Ideo tot uer-  
 bis agitur in Gen. ut describatur promissio seminis: & fides Abrahæ in eandē,  
 & appellatio seminis in Isaac, sic promissi & crediti; ut ostendatur Abrahæ nō  
 esse filios, qui ex carne, sed qui ex fide ei nascuntur. Ideo quod breuius dixerat,  
 iam latius prosequit, quomodo sint filij Abrahæ, qui ex fide sunt, propter, scilicet  
 licet promissionem, quæ super Ismael non contigit. ideo nec in semen ei re-  
 putatus est.

Ap̄us nō se-  
 ctatur dialē-  
 cticam.

Gratia donū  
 signat, nō tm̄  
 fauorē.

Vide rationē  
 consequentię.

Fides Abrahæ

Prouidens autem scriptura, quia ex fide iustificat gentes deus: prę-  
 nunciauit Abrahæ, quia benedicentur in te omnes gentes.

Ap̄s omisit,  
 in semine tuo.

Filij Abrahæ  
 credētes, obe-  
 diētes, & spi-  
 rituales.

Prouidens, id est, longe ante uidens. Scriptura, id est, spiritus in scriptura: Si  
 id, quod hic dicitur, Benedicent in te omnes gentes, acceperimus pro eo, quod  
 Gen. xij. scribitur, laborem nobis apostolus præbet; non illum solum, quo b.  
 Hierony. laborat, quod apostoli sensum magis q̄ uerba adducant: Sed illum  
 potius, quod eo tempore Abrahæ nōdum erat de filio promissum, nec de fide  
 cōmendatus ipse, quod c. xv. contigit. Proinde Hiero. accipit istud Gen. xxij.  
 ubi post tentationem Abrahæ dicitur: Benedicentur in semine tuo omnes gen-  
 tes terræ, quia obedisti uoci meæ. Apostolus autē hoc loco, non in semine tuo  
 sed in te, dicit sicut Gen. xij. dicitur. Et ego Hiero. secutus, puto apostolū bre-  
 uitatis studio omisisse, in semine tuo; cum statim infra utrunq̄ positurus esset.  
 Abrahæ autē (inquit) dictæ sunt promissiones, & semini eius. Et ita uerum  
 est, in utroq̄ Abraham, & in semine eius promissionē factam. Non refert au-  
 tem, utrum hic dixerit. Cum igitur hæc dicta sint ad Abraham, non qualem/  
 cūq̄, aut carnalem; sed iam credentem, obediētem, spirituale, & omnino aliū  
 hominem

hominem, denique habentem promissionem: Sequitur, quod scriptura nos noluere docere, non esse filios Abraham, nisi qui talis & huius Abraham filij & semine essent Adeo, ut etiam illi fierent filij, qui de carne eius non essent, sed genes, ut hic dicit. Quod deus iustificet gentes ex fide, ut scriptura prouiderat, & Abraham pronunciauerat. Ergo in Abraham benedicimur, sed in quo Abraham? Credente utique. Quod si extra Abraham sumus, maledicemur potius, etiam si in Abraham carne fuerimus. Quia de Abraham carne nihil agit scriptura. Sunt ergo in Abraham, qui credunt deo sicut Abraham.

Igitur qui ex fide sunt, benedicentur cum fidei Abraham.

Obserua epitheton Abraham, Fidei: cum credente Abraham benedicentur, non cum carne generante, aut alia faciente. Non enim scriptura ei tribuit filios, aut semen, nisi credenti. Qui ergo sine fide sunt, patris sui imaginem & hereditatem non referant, ergo nec filij quidem sunt, nisi spurij. Sed adhuc obstreper argutulus quispiam, nec sic ratio consequentia stabit, Abraham credit, ergo credentes sunt filij eius. Quia per fidem Abraham meruit quidem filium & semen: sed non hinc sequitur, filios eius oportere credere. Alioquin & omnia quae credendo meruit, necesse erit, ut credant, aut Abraham non erunt. At iam necesse erit, terram Cananeam credere. Sat ergo est, Abraham credidisse, & filios meruisse: sed non ideo filios oportet esse credulos. Respondeat. Primum, quod apostolus Galatis, ut rudioribus satis esse credit: si filios Abraham esse non posse sciunt, nisi sint similes eidem. Profundiorum huius mysterij rationem, quam Rhomae, prosequitur, consulto hic pretermittit. Nam vere non sunt filij Abraham, nisi promissionis filij. Cum autem diuina promissio & predestinatio fallax non possit esse, sine difficultate & consequentia infallibili erit, ut omnes sint fideles, qui promissi sunt: ut sic fides promissorum stet, non necessitate operum & fidei illorum, sed firmitate diuinae electionis. Hoc loco satis erat imitationem Abraham comendare, non promissionis & predestinationis sublimitatem inculcare. Ideo quauis consequentia illa non stet: Abraham credit, ergo filij eius credent, nisi dum promissionis filios (qui non in sua, neque Abraham iustitia firmabuntur, sed in electione dei: nec ideo credent, quia filij Abraham erunt: sed ideo filij Abraham erunt quia credent certissime, ut qui a deo donabuntur, Abraham non mendaciter promittente) consideres: tamen haec stat: Abraham credidit, ergo filij eius debent credere, si uolunt esse filij. Hoc inquam, satis erat Galatis insensatis, Romanis sapientibus alia debebant. Itaque sunt filij Abraham, qui credunt: non alij.

Quicumque enim ex operibus legis sunt, sub maledicto sunt. Scriptum est enim: Maledictus omnis, qui non permanerit in omnibus, quae scripta sunt in libro legis, ut faciat ea.

Dixerat, benedictos esse eos, qui ex fide sunt. Iam alio argumento, & a contrarijs assumpto, maledictos dicit, qui ex operibus sunt. Vide autem mirabile syllogismum apostoli, Adducit ex Deutro. c. xxvij, Esse maledictos, qui non faciunt ea, quae scripta sunt in libro legis. Ex qua negatiua, colligit affirmatiuam hanc: Maledicti, qui operantur opera legis. Nonne hoc affirmat, quod Moses negat? Et quo maiore sit absurditas, suam affirmatiuam, per Mosi negatiuam probat. Diceret aliquis Festus Portius: Insanis Paule, multae literae te ad insaniam conuertunt. Quid ergo dicemus? An benedicti sunt, qui non operantur legis opera, etiam tanto apostolo doctore? At Moses dicit: Maledictos, qui non

Non credentes spurij.  
Sophista eluditur.

Filij Abraham promissionis filij.

Nota consequentiam.

Mirabilis syllogismus apostoli

Quaestio, Solutio.

O o ij faciant



faciant. Restat itaq; ut iam supra diximus, quod quicunq; extra fidem sunt, operantur quidem opera legis, sed legem non implent. Opera enim legis, simulata opera sunt. Sicut & infra ca. vi. dicit. Neq; enim qui circumcidunt, legem custodiunt. Et, v. Testificor omni homini circumcidenti se, quoniam debitor est uniuersae legis faciendae. Ecce nihil implet de lege tota, q; circumcidit se: ergo neq; si ullum aliud opus legis faciat. Consequens est, ut Moses eo uerbo omnes homines sub maledictione coegerit; & cum dicit: Maledictus omnis &c. idem uoluerit, ac si diceret: Nullus hominum haec faciet, quae scripta sunt; ideo omnes erunt maledicti, egentes redemptore Christo. Igitur apud apostolum & ipsam ueritatem fixum est, quod operantes opera legis, non implent legem; Et facientes non faciunt. Sicut audientes non audire, & uidentes non uidere Christus dixit

Operantes  
opa legis, non  
implent legem.

In neutralen  
ses theologias.

NOTA

Fides.

Facere ea, q;  
scripta sunt.  
Facere opera  
legis.

Sola fides  
oia legis facit

Videntur enim sibi legem implere, & opera legis facere; sed simulat potius, dum sine gratia nec cor, nec corpus mundare possunt. Ideo immundis nihil esse mundum necesse est. Iam puto neutralenses meos, hoc loco satis confoscos, qui opera quaedam neutralia, & in genere morum bona finxerunt. Hic apostolus legis opera maledicti: legis inquam dei, quae utiq; meliora fuerunt, qm dictaminis naturalis. Et ipsa adhuc stertentes facient securos. At dicant apostolum loqui de legibus ceremonialibus, quae iam sunt mortifera. Contra ceremonialia, nec sunt, nec fuerunt unquam mala, sed fiducia eorum, ut b. Augu. docet. Deinde quod apostolus de omnibus legibus loquatur, patet: quod etiam querulante Hierony. uerbis Mosi addiderit omnis, & omnibus in quibus, quae in libro legis scripta sunt. Fortissime autem quod statim dicit, Christum nos redemisse a maledicto legis. At gentes nunquam fuerunt sub maledicto ceremonialis legis. Ergo omnes redempti sub maledictione legis fuerunt. Sicut enim ante quoq; dixi, parum praestitisset Christus, si a circumcisione, sabbatis, uestibus, cibis, lotionibusq; nos liberasset; & non multo magis a grauioribus legis peccatis, concupiscentia, cupiditate, ira, impietate. Tum uere non fuisset saluator animarum, sed corporum: quod haec omnia corporalia fuerunt. Vere itaq; peccatum & maledictum opus est cuiuscunq; legis, si extra fidem, id est, extra puritatem cordis, innocentiam, iustitiam, fiat. Illud lectoris iudicio relictum uolo. An idem, uel diuersum sit, quod Paulus dicit, Qui ex operibus legis sunt. Et qd Moses, Qui non permanserit (seu ut heb. est) firmauerit omnia &c. ut faciat ea. Fortasse aliter est, facere opera legis, & aliud facere ea, quae scripta sunt: Vt sit facere qd scripta sunt, idem quod implere. Et facere opera legis, idem quod simulare, quibusdam externis operibus, impletione. Sicut Christus dicit: Quid uocatis me domine, & non facitis quae dico uobis. Et Rhoma. ij. Non auditores, sed factores legis iustificabuntur. Certum est enim, quod maledictio utriusq; manet: & ijs qui non faciunt, ut Moses dicit; & ijs qui sunt ex operibus legis, ut apostolus dicit. Ideo omnino tropus est Pauli (ut dixi) eos q; operantur opera legis non facere quae scripta sunt in lege: in qua nimirum fides scribitur. Haec sola facit oia legis.

Quod autem in lege nemo iustificatur apud deum, manifestum est, quia iustus ex fide uiuet.

Hec est subsumptio explicaturae uerbum Mosi adductum, ac si dicat: Audis ex Mose, maledictum esse eum, qui non fecerit ea, quae scripta sunt. Et ego pariter assumpsi, tales esse qui ex operibus sunt; utrunq; ita esse illud conuincit, quia apud deum in lege non iustificabitur ullus. Si non iustificabitur coram deo, iam non facit quae scripta sunt. Quod si hoc est, uere maledictus est. Ii enim, qui faciunt quae

quæ scripta sunt, iustificabuntur. At quod operatores legis non faciant, ex eo sane probatur: Quia iustus ex fide uiuet, Abacuc. ij. Si hic scriptura uera est, sicut oportet: Et opera legis sine fide sunt, mortua nimirum sunt, & iniustus est, qui facit ea. Si iniustus, ergo non facit quæ scripta sunt. Hic uelim & illud, in lege, pro, per legem, seu lege dici: ut sit sensus, per legē nemo iustus erit apud deum, ut opera legis simul includat.

Lex autem non ex fide.

Hoc est quod dixi, ideo lege neminem iustificari, quia sola fide iustificabit iustus. At lex & fides non sunt idem. Nec ipsa, nec opera eius, sunt ex fide, nec cum fide. Proinde coram hominibus iusti sunt, sed non apud deū, ut sequitur.

Sed qui fecerit ea, homo uiuet in illis.

Hoc uerbum ex Leuit. xvij. adducit, & Rho. x. Est autē apostoli sensus, lex non uiuificat, nec iustificat coram deo: qui autem fecerit ea, quæ legis sunt uiuet ut homo in illis: hoc est, euadet pœnam legis, acquirereq; præmium legis, sed nō uiuet in deo, nec ut filius Abrahæ. Quare uim uerborum expende. Homo uiuet in operibus legis, qui tamen mortuus est apud deum. Homo inquam non iustus, & in illis operibus inquam suis uiuet, id est, uitam tuebitur, ne occidatur iudicio legis, non autem uiuet iustus in illis, sed in fide. Memēto itaq; hoc loco, te ex apostolo didicisse opera legis esse, quibus ad hominem apparemus iusti & legis seruantes: intus autem, defectu fidei, nihil minus q̄ iusti sumus. Ideo per legē, non nisi hypocritā fieri, & sepulchrum foris speciosum, intus plenum spurcitiā. Nam quo minus d. Hierony. Paulum intellexit, in his & similibus locis, causa fuit, operum legis non recta cognitio: & nimia Origenis allegorificatio. Dicit em̄ hoc loco, Mosen & prophetas, sub operibus legis & maledicto fuisse, quod omnino falsum est: fide enim iustificati & sanctificati, uixerunt apud deum, etiā anteq; lex & opera legis præciperentur: qualia ipse uult ceremonialia tantum. Postea tamen ad ueritatis, redit in uiam dicens, eos fuisse peccatores. iuxta illud Ecclesi. vij. Non est iustus in terra, qui faciat bene, & non peccet, quod de lege moralī utiq; intelligi oportet.

Hō uiuet in operibus legis mortuus in apud deum.

Tale & illud est, quod iustum ex fide uiuere, sic intelligit, quod iusto si accesserit fides, iustitia eius uiua erit: ita ut sine fide, uirtutes asserat, sed uitiosas.

Sed hæc & alia prudens lector sic legat, ut meminerit ex alijs ea per d. Hierony. allata. Nō est iustus ullus ante fidem, sed gratis iustificatur, & bonum pro malo accipit. Apostolus enim uult hominem ex lege uiuere apud homines sed iustum hominē ex fide apud deum, hoc est, quod iustitia, uita, & salus hominis, apud deum sit fides, nō iustitia prior fide, sed per fidem iustitia & uita.

Nota lector.

Apostoli sententia.

Christus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum (quia scriptum est, Maledictus omnis, qui pendet in ligno) ut in gentibus benedictio Abrahæ fieret in Christo Iesu, ut pollicitationem spiritus accipiamus per fidem.

Primum, cum ihs ex postulo, qui nec sub maledicto legis sunt, nec Christo redemptore indigent. Hi sunt, qui aliud esse contra legem, aliud contra intentionem legis statuunt. Contra legem agens, peccat: sed contra intentionem legis, non peccat, tantum a bono deficit. Hæc uenena quis ferat? Sed audi, quo modo probent (intentionem autem uocant, quod deus opera legis requirat in

NOTA

O o iij charitate

charitate fieri) Si homo (inquiunt) teneretur ad intentionē legis, Sequeretur, quod existens extra gratiam, assidue peccaret, non occidendo, non moechando, non furando &c. Respondeo, non peccat, non occidendo &c. sed peccat intus, odiendo, concupiscendo, cupiendo latenter, & irritatus euidenter. Ista enim immundicia occulta cordis & carnis, non tollitur, nisi fide per gratiam Christi. Non est ergo intentio legis, ut in gratia seruetur, tanquam sit gratia exactio quaedam. Sed intendit lex, ut seruetur. Seruari autem non potest sine gratia, ideo cogit querere gratiam. Itaque omnes sub legis maledictio sumus, qui sine gratia fidei sumus, ut iam satis est dictum. Cum enim solum ex fide iustus uiuat, patet maledictio legis in incredulos, ne Christi redemptionem frustremus; aut tantum ad ceremonialia referamus, a quibus & homo potuisset nos redimere. Denique opera legis fieri ex nobis potuerunt. Reliquum ergo est, ut ab ira, impietate, concupiscentia, & alijs malis, in corde & carne, per Adam & Euam plantatis, redemerit, quibus facti immundi omnes nos, iustitias pollutas operabamur; & ita nihil implebamus de lege, quare iuste maledictioni & damnationi deputabamur. Sic per legem non adiutorium, sed nostri mali indicium & monitorium habemus. Sicut autem ad Corinthios dicit, Christum esse pro nobis factum peccatum, ut nos essemus iustitia dei in illo; ita hic maledictum, ut benedictio Abraham fieret in Christo eodem, in gentibus. Simili omni no tropo; Sic mortuus est, ut nos essemus uita in illo; sic confusus, ut nos gloria fieremus in illo; omnia pro nobis factus, ut omnia fieremus in illo. Hoc est si credimus in eum, iam legem implemus, & liberi sumus a maledictione legis. Nam hoc, quod nos merebamur, maledici & danari, pro nobis subiit & exoluit.

Nota, hec dura sunt, sed uera.

Christus pro nobis factus peccatum.

D. Hiero.

D. Hiero, mire laborat, ne Christum a deo maledictum admittat. Primum ponderat, quod apostolus non reponat uerba legis, quae sic habent, Deutro, xxij Maledictio dei suspensus, Apostolus autem, lxx, sequutus dicit, Maledictus omnis, qui pendet in ligno, omittens particulam, a deo, quam illi addiderunt.

Breuius etiam si in heb. non ponatur (in ligno, & omnis) tamen praecedentia textus cogunt, de quolibet in ligno suspeso, Mosē intelligi; ideo nihil apostolus mutauit, quod mouere possit. Quod autē omisit (a deo) ne hoc moueret; certum fuit apostolo, quod a deo factum intelligeretur. D. Augu. refert quosdam, parum eruditos, id intelligi uoluisse de Iuda traditore suspeso. Statu pulensis alia cogitat. Verum stat textus apostoli clarus; ideo Christum esse maledictionem factum, non quod aliquid dignum maledictio admiserit, sed quia scripturae sententia generalis est, omnem, qui in ligno pepēderit, esse a deo maledictum. Ideo apostolus forte, quia dire sonabat, Christum maledictum uocari; molliuit hoc statim, adducta scripturae autoritate. Nihil ergo est, quod d. Hierony. hoc uerbum, non de Christo uelit intelligi, cum apostolus, ut generalem sententiam adducēs, de Christo uoluit probare, quod dixerat. Nam cum ipsemet Christus, ex Isaia. liij, dicat se cum iniquis deputandum; quid monstrum est, eum maledictum, cum maledictis nominare? Si cum sceleritatis reputatus est; certe id quod scelerati uocantur, patiunturque, uocandus est. Est autem homo duplex, interior & exterior, ita duplex benedictio & maledictio. Benedictio interior, gratia & iustitia in spiritu sancto. Hoc proprie Abraham promissa est in Christo. Maledictio interior, peccatum, iniquitas; ut psal. cxviij. Maledicti qui declinant a mandatis tuis. Et Matth. xxv. Ite maledicti &c. Et Hiero. xvij. Maledictus qui facit opus domini fraudulenter, idem, Maledictus qui confidit in hominem. Benedictio exterior, est abundantia rerum corporaliū

Benedictio.  
Maledictio.  
Interior.  
Exterior.

ralium. hæc propria fuit ueteris legis. Maledictio est penuria; ut Malach. iij. Et in penuria uos maledicti estis. Sic Christus maledixit ficum, & exaruit. Sic Helisæus filios Bethel. Nullus itaq; scrupulus sit, Christum esse maledictum cum omnibus suis sanctis, maledictione externa, simul benedictum benedictione interna, ut psal. cvij. Maledicent illi, tu uero benedices. Sic nec horror est, Christum esse mortuum, passum, crucifixum; immo beati (inquit) cum maledixerint uobis homines. At dices, nondum probas, quod a deo maledictus sit, id enim beatus Hierony. mouit. Respondeo, Maledictiones hominum, sine dubio, deo ordinante quenquam tangunt. Sicut. ij. Regum. xvj. Dominus præcepit ei, ut malediceret Dauid. Et ibidem: Dimitte eum, ut maledicat mihi secundum mandatum domini. Non præcepit deus Semei, ut malediceret. Sed quando plenus erat maledictis, ut malo illius bene uteretur, uoluit, ut in Dauid euomeret maledicta sua. Quod autem d. Hierony. audacter negat, in scripturis inueniri quenquam a deo maledictum, & nunq; nomen dei cum maledictione adiunctum; miror quomodo intellexerit, quod Gen. iij. Serpens a deo maledictus, & terra in opere Adam, Sed & Cain. c. iij. maledictus deus. iij. Reg. ij. maledixit Helisæus in nomine domini pueros Bethel. Et Abacuc. iij. Maledixisti sceptris eius. Et Malach. ij. Maledicam benedictionibus uestris, & benedicam maledictionibus uestris. Forte sanctus uir, quia usu loquendi, Maledictio fere sonat in perniciem rerum omnium, maxime spirituum & æternarum, quo modo certum est, Cain & terram non maledictos, quia (inquit) maledictus eris super terram. Nam illud Matth. xxv. Ite maledicti, forsitan denunciari maledictum magis, q̄ maledici intelligit. Sed ad apostolum ut benedictio Abrahæ fieret in gentibus in Christo, id est, ut impleretur benedictio Abrahæ promissa, quod esset pater multarum gentium in fide. Hæc inquam fides promissa est in benedictione. Vnde hic iterum breuiter & obscure tangit, Gentes fore filios Abrahæ, non quia imitarentur, sed quia promissæ fuerunt: & ideo imitataræ essent, quia filij essent futuri, deo promittente & implente, non gentibus facientibus & imitantibus. Non imitatio fecit filios, sed filiatio fecit imitatores. Addit autem, in Christo, ne a linea discedat, quia non suis meritis gentes, sed nec alia uia Abrahæ facti sunt filij, q̄ per Christum, id eis promerentem, & ab eis per fidem susceptum, ut sequitur: ut pollicitationem spiritus, id est, promissionem dandi spiritus sancti, per fidem acciperemus. Spiritus enim sanctus, promissus est Abrahæ, dum benedictio fidei ei est promissa. Fides etiam per spiritum sanctum donatur merito Christi, in uerbo & auditu euangelij.

Obiectio:  
Solutio

Sobre in  
Hieros.

Excusat  
Hieros.

Gentes fore  
Abrahæ filios.

Fratres, secundum hominem dico, tamen hominis testamentum confirmatum, nemo spernit, aut superordinat.

Apocopen facit apostolus, addendum est enim: Ergo multo minus testamentum dei confirmatum, nemo debet spernere, & superordinare, dicit secundum hominem: ut rudibus Galatis, humana similitudine persuadeat diuina, ut Hieronymus sentit. Verum, meo iudicio, nullus tam eruditus est, qui non egeat huiusmodi similitudinibus in discendo Christo, immo maxime necessarium fuit hoc similitudinis exemplum, alioquin difficilius intelligeres, q̄ Rho. iij. ubi idem tractat sine exemplo huiusmodi, & nodam uidi, qui digne explicaret. Statuamus ergo utrumq; ante oculos, similitudinem, & rem ipsam: & uidebimus quanto iterum argumeto, legis iustitiam expugnet.

Oo iij Intendit

Intendit autem hanc inferre conclusionē. Si iustitia potest haberi ex nobis per legem & opera eius, iam frustranea est promissio benedictio is Abrahæ facta, quia sine ea iusti esse possumus per legem; aut certe, ipsa nō satis est, ut iustificet, si legis iustitia superaddenda est. Et sic testamentū & promissio dei, aut superfluit, aut deficit; ut necesse sit aliud superordinari. Vtrūq; autem detestabilissimū; ergo oppositū uerum, iustitiam legis, neq; necessariā, neq; sufficientem. ecce fortissimū certe argumentū. Videamus itaq;. In omni testamento, est testator, est cui sit testamentū, est ipsūm testamentū, est res quæ testatur, seu legatur; ita hic; Deus est testator, ipse eū pmittit & legat. Abraham & semen eius sunt, quibus fit testatio, ut hæredibus dei testatoris. Testamentū est ipsa promissio, Gen. xxj. & xvij. Res testata, est ipsa hæreditas, id est, gratia, & iustitia fidei; scilicet benedictio gentiū in semine Abrahæ. Si ergo gratia, promissiois, & iustitia dei, p Christū exhibita (& sic testamēto dei per mortē suam cōfirmato, immo iam executo & distributo) nō sufficit, nisi & legis iustitiā habeas; Nōne iam testamentū dei, nō nuncupatū modo, sed confirmatū & expletū quoq; irritum fit, & aliquid ei supordinatur; quod ne hominis testamento quidē fieri debet. Si autem sufficit gratia, & testamentū dei firmū est, patet iustitiā legis non esse quærendā. Idem Rho. iij. Si qui ex lege sunt, hæredes sunt, exinanita est fides, abolita promissio; quod uidelicet iustitia legis satis esset, nō opus esset fide & gratia Abrahæ promissa. Vides ergo, q̄ digne tractet scripturas apostolus, ita ut impossibile sit eum intelligi ab ijs q̄ de lege ceremoniali tantū eum putant loqui. Nam eodē argumento cōcludit contra iustitiā decalogi, si operibus eius iusti fieri possumus, frustra est fides, & benedictio Abrahæ promissa, in gentes diffundenda, cū sine fide & benedictione illa, simus iusti.

Testamentū  
ex quatuor  
constat,

NOTA

Abrahæ autem dictæ sunt promissiones, & semini eius.

Id est, testamentū dei ad eum dispositū, quod hic promissiones, infra statim testamentū uocat. obserua ergo, quomodo similitudinē per testamētū applicet. promissiones (inquit) dictæ sunt, id est, res legate testamentū. Quæ autē res? Benedictio gentiū in semine eius, id est gratia fidei in Christo, unde sequitur.

Non dicit, in feminibus, quasi in multis, sed quasi in uno, in semine tuo, qui est Christus.

Quasi pro ut Illud quasi maleponit, melius diceretur, ut in multis, ut in uno, quod tū grāmatici sensus patet. Vide, ut semen Abrahæ significatū docet, Christum; ne iudæi se esse iactarent, in quibus gentes benedicerent, cū tam multi sint, ut certū esse nunquā possit, in quo fieret satis promissioni, iterūq; promissio periclitaretur, & testamentū dei corrueret. Vnum ergo semen oportuit, huic benedictioi dandæ nuncupari; non modo, pro certitudine, sed & pro unitate unius populi dei, ad sectas phibendas. Habes ergo, testatorē, testamentū, rem testamenti, ipsosq; quibus factū est, iam restat, ut confirmet, & confirmatum reueletur ac distribuatur, hoc est, ut gentes eam in Christo benedictionē accipiant.

Hoc autem dico.

Id est, quod intendebam, nunc dico, nunc me explico, & applico.

Testamentū confirmatum a deo in Christum.

Id est, per mortem Christi ratum factum. Ratum autem factum in Christū, id est, ut in Christo tanq; repositum, gentibus distribuatur. Nam per Christū,  
in Christum

in Christū, testamētū dei impletū est, nō em̄ Christus sic mortuus est, ut gratia fidei diffunderet, qua in aliū q̄ Christū crederet, sed in illū ipsum Christum.

(Quæ post quadringentos & triginta annos facta est) lex, non irritum facit, ad euacuandam promissionem.

Obscurissime & inuolutissime loquit̄ ap̄tus, pro actu suo. Testamentum (inquit) dei cōfirmatū in Christū, nō debet irritum fieri p̄ legē & iustitiā eius. Fieret autē irritum, & euacuaret promissionē omnino, si eius opera ad iustitiā necessaria forent, tanq̄ p̄missionis gratia nō esset satis, aut impotens, ad iustificatiōnē nostri. Quod autē addit, quæ post. cccc. xxx. annos facta est lex, p̄ tapinosin facere uidet̄ in legē. ac si dicat: Si p̄missio fuisset post legem data, poterat uideri per iustitiā legis merito impetrata. Nunc uero a deo sine legis operibus gratia iustitiā datur: ut etiā tot annis ante legē, multo magis ante iustitiā eius, fuerit p̄missa, nullis merentibus, nullis petentibus, sed sola dei misericordia gratuito p̄mittēte. Cur ergo lex euacuabit hāc gratiæ p̄missionē, & nūc exhibitionē, cum ad utrūq̄ lex nihil fuerit operata? Et Rho. iij. dicit. Sine lege manifestata est iustitiā dei, immo Rho. iij. cōtra operata est lex, dum iram potius operatur, & offensiones auget. Absit ergo, ut iustitiā innitatur legi, & operibus nostris, immo innitatur fidelissimæ p̄missioni dei, qui nō mentit̄: etiā si nos per legem peiores & indigniores efficiamur.

NOTA

Iustitiā innitatur dei p̄missioni.

Nam si ex lege hæreditas, iam non ex p̄missione.

Id est, si iustitiā, quæ Abrahæ p̄missa est in benedictione, ex opibus legis, & ex nobis est, euacuata & sup̄flua est p̄missio. Nō pōt̄ idē ex nobis, & deo esse: cum ipse uerax, nos mendaces simus. Probat hoc uerbo, quod iam dixit, p̄missionē non euacuari p̄ legē. Quia (inquit) si ex lege, iam p̄missio euacuatur per legē. Sicut & Rho. iij. Si ex lege hæredes, abolita est p̄missio. Tropum apostoli satis supra cōmendauit, quod legem, & opa legis, & iustitiā legis, pro eodē habet: quod iustitiā eiusmodi, nō uolentibus nobis, sed sola lege exigēte fiat. Nostri theologi hoc uocāt ex nobis, seu ex uiribus nostris, seu ex puris naturalibus: ideo Paulū nequeunt capere, qui legē uidetur accusare.

Promissio nō euacuatur per legem.

Nostri theologi Paulum nō capiunt.

Abrahæ autem, per rep̄missionem donauit deus.

Non per legē reddidit, sed per gratuitā p̄missionē donauit: cū lex nondum esset, multo mīaus lege ueniēte impleuit eadē. Sic habes totū hoc ap̄li argumētū

Nunc id uidendū, quod legē post. cccc. xxx. annos data est. Supputatur em̄ anni istī, ab exitu Abrahæ, de terra sua, quando primo accepit p̄missionem. Geñ. xij. usq̄ ad exitum filiorū Israel, hoc modo: Abraham. lxxv. anno egresus est de terra sua. Geñ. xij. cētenarius autē genuit Isaac (sic habes. xxv. annos) Isaac sexagenarius genuit Iacob & Esau. Geñ. xxj. (signa. lx. annos) Iacob nonagenarius genuit Ioseph (xc. annos signa) ut ex Geñ. per multa cap. colligit̄, Ioseph uixit. cx. annos, Geñ. ultimo. Post hunc durauit seruitus Aegypti. lxxv. ut Io. Annus ex Philone dicit̄: tunc Moses natus, cuius anno. lxxx. exierūt filij Israel. Igī a. lxxv. anno Abrahæ ad. lxxx. annū Mosi, sunt. cccc. xxx. anni.

Annorū ab exitu Abrahæ, ad exitū filiorū Israel supputatio. xxv. lx. xc. cx. lxxv. lxxx.

Hæc an ita habeāt alij uiderint. Ego cū d. Hiero. sentio dicēte: A multis hæc res q̄sita, & nescio an sic inuēta. Credo em̄ apostolū nō ex supputatiōe ista dixisse, sed ex. c. xij. Exodi, ubi dicit̄ habitatio filiorū Israel, q̄ habitauerūt in Aegypto fuit. cccc. xxx. annorū. Sic & Stephan⁹ Act. viij. ex Genesi recitat̄ historiam, ubi. c. xv. Abrahæ de⁹ p̄dicat̄. cccc. ānos seruiturū semē suū, ipse miscēs utrūq̄

locum

**Deus mori-** **locum, cccc, xxx, annos numerat.** Illud quoque nota, quod apostolus promissio-  
**turus subin-** **fiones dei, testamētū uocat, sicut & alijs locis scripturæ uocant, in quo subob-**  
**dicatur,** **scure indicatit fore, ut deus moreret. Atque ita in promissione dei, tanquam in nun-**  
**Pactum,** **cupato testamēto, simul incarnatio & passio dei intelligeret. Nam ut Heb. ix.**  
**Testamentū** **Testamentū in mortuis confirmatur. Quare nec dei testamentū confirmari de-**  
**bit, nisi deus moreretur, ut ibidem de Christo dicit. Idcirco noui testamēti me-**  
**diator est, ut morte intercedente, repromissionem accipiant. Et hunc esse diem**  
**Christi, quem promittente deo, Abraham cognouit & gauisus est. Quod si-**  
**mul, cōcordari potest, quod d. Hiero. in heb. pactū potius quam testamentū haberi di-**  
**cit. Is pacificus, qui uiuus manet, testatur moriturus. Ita Iesus Christus, deus im-**  
**mortalis fecit pactum, idem simul testamentū, quia futurus mortalis, sicut idē**  
**deus & homo, ita idem pactum & testamentum.**

**Quæstio**

Quid igitur lex?

Quia negauit per legem iustitiam haberi, idque satis robustis argumentis stabiliuit, iustissime sibi obijci posse uidet, ad quid tum lex ualeat, cum omnis lex propter iustitiā, & bonos mores poni uideatur? Et satis uides, quod de omni lege loquatur, etiam decalogi, per omnia, ut ad Rho. iij. & v.

**Solutio.**

Propter transgressiones posita est, donec ueniret semen cui promiserat, ordinata per angelos, in manu mediatoris. Mediator autem unus non est, deus autem unus est.

**Lex posita ē**  
**ut transgres-**  
**siones abund-**  
**darent.**

**Argumentat**  
**cōtra d. Hie-**  
**ronym.**

Quis unquam expectasset talem responsionē, contrariā certe omnibus, qui de utilitate legū sapere & dicere solent: legem dicit positam seu additā & appositā, ut transgressiones abundarent, eodem sensu, quo Rho. v. dicit, lex subintrauit ut abundaret delictū. Verū quod d. Hiero. negatiue intelligit, ut per legē transgressiones cohiberent, huic resistit. Primū, quod tum potius, propter iustificationē posita dici debuit: lex enim propter obseruationē ponitur. Secūdo, quod iste sit tropus apostolo familiaris, lex est uirtus peccati, occasio peccati, lex mortis, lex iræ. Sic Rho. iij. lex iram operatur: ubi enim non est lex, nec prauaricatio

**NOTA**

Ita certe ubi non est prauaricatio, nec remissio: ubi non est remissio, ibi nec salus. Proinde, ut remissio propter salutē, ita prauaricatio propter remissionē, ita lex propter transgressiōnē. Lex ponit peccatū, peccatū remissionē, remissio salutē. Hoc totū, quia sine lege, peccatū mortuū est, & non cognoscitur. Rho. v. & vij. Peccatū erat in mundo, sed non imputabatur usque ad Moysen. Est ergo sensus, lex propter transgressiōnē posita est, ut transgressio sit, & abundet: atque sic per legē, homo in sui cognitionē perductus, quarat manū miserentis dei, qui sine lege, peccatū ignorans, sibi sanus uidetur. Tertio, nec sequētia cōsonant, donec ueniret semen. Absurdū est enim, transgressiōnē cohiberi, donec Christus ueniat, quasi tum sit non cohibenda, cū apostolus contrariū uoluerit, quod peccatū per legem non solū sit non cohibitū, sed auctum quoque, donec Christus ueniens, peccatū finiret, legē implendo, & gratiā dando, ut Danie. ix. Gabriel dicit. Ut finem accipiat peccatū, & adducat iustitia sempiterna, ac si dicat: Peccatū sum psit initium in Adam, per legē etiā incrementū, per solū Christū finem accipiet, qui iustitiā adducit, mortuo peccato, sempiternā: ut Psal. cx. & cxj. Iustitia eius manet in seculū seculi. Quarto, nec cū illo cōuenit, ergo lex aduersus promissa dei: hoc non inferret, si apłs uellet intelligi, legē pro cohibenda transgressiōne positam, quia tum non esset aduersus promissa, sed pro promissis. Nunc uero,

**Sensus apłi**

**Pctm p legē,**  
**auctū, donec**  
**christi finiret**

**NOTA**

Ita certe ubi non est prauaricatio, nec remissio: ubi non est remissio, ibi nec salus. Proinde, ut remissio propter salutē, ita prauaricatio propter remissionē, ita lex propter transgressiōnē. Lex ponit peccatū, peccatū remissionē, remissio salutē. Hoc totū, quia sine lege, peccatū mortuū est, & non cognoscitur. Rho. v. & vij. Peccatū erat in mundo, sed non imputabatur usque ad Moysen. Est ergo sensus, lex propter transgressiōnē posita est, ut transgressio sit, & abundet: atque sic per legē, homo in sui cognitionē perductus, quarat manū miserentis dei, qui sine lege, peccatū ignorans, sibi sanus uidetur. Tertio, nec sequētia cōsonant, donec ueniret semen. Absurdū est enim, transgressiōnē cohiberi, donec Christus ueniat, quasi tum sit non cohibenda, cū apostolus contrariū uoluerit, quod peccatū per legem non solū sit non cohibitū, sed auctum quoque, donec Christus ueniens, peccatū finiret, legē implendo, & gratiā dando, ut Danie. ix. Gabriel dicit. Ut finem accipiat peccatū, & adducat iustitia sempiterna, ac si dicat: Peccatū sum psit initium in Adam, per legē etiā incrementū, per solū Christū finem accipiet, qui iustitiā adducit, mortuo peccato, sempiternā: ut Psal. cx. & cxj. Iustitia eius manet in seculū seculi. Quarto, nec cū illo cōuenit, ergo lex aduersus promissa dei: hoc non inferret, si apłs uellet intelligi, legē pro cohibenda transgressiōne positam, quia tum non esset aduersus promissa, sed pro promissis. Nunc uero,

uero,

ueto, quia peccatū auget, iramq; prouocat, apparet nō prouocare deum ad soluenda, pmissa, sed potius irritare & impedire. Sic intelligendo, cōtextus sibi pulchre cohæret; alioquin tot singas sententias, quot sunt cōstructiones, necesse est. Quinto, qd dicit: In manu mediatoris, quod meo iudicio dicit, quia lex nō sit posita in manu nostra, ut nos eam impleamus; sed in futuri Christi, eam impleri. Quare non ut iustificaret, posita est; sed magis peccatores argueret & manū mediatoris requireret. Resistendū enim fuit humanæ supbiæ, ne filium dei suis meritis incarnatum crederet, & tantæ misericordiæ ingrata fieret. Nūc lege in demerita lapsi, tanto fideliorē & misericordiorē deum amamus quo indignioribus tantā charitatē exhibuit. Nobis em̄ per legem cognitio, soli autē Christo impletio & operatio. Donec ueniret semē, cui promissum erat, id est, in quo benedictio, iustitia, & plenitudo legis danda erat: & transgressiones, quæ p legē erant, non iam cohibendæ, sed extinguendæ, quod p fidem Christi efficit. Iam quæ sequunt, ego apud nullū doctore inuenio explicata: trāsēūt Hiero, Aug, Amb, nihil nisi Christū mediatorē dei & hominū dicentes; nō ostendētes, quæ uerborū sit cōsequentia, aut intelligētia. Porro recentiores etiam aliena hīc cōmīniscunt. Quare pio lectori submitto, quæ ipse meditari possum. Ordinata (inquit) per angelos, in manu mediatoris. Et b. Stephanus q; Act. vii. Qui accepistis legē in dispositione angelorū, & nō custodistis, & Heb. ij. Si em̄, qui p angelos dictus est sermo, factus est firm⁹ &c. Apparet itaq; apostolū uelle, legem esse literam, ideoq; non nisi uirtutē peccati existerē, & ut. ij. Corin. iij. dicit: Litera occidit, spiritus autem uiuificat. Magnum quidem est, per angelos ordinatā esse, sed hoc nihil ad iustitiā: cum angeli nō possint, nec pro nobis eam implere, nec dare id, quo impleatur, id unū possunt, quod ordinante deo, nobis eam tradiderūt. At quoniā ordināte deo, tradita est, nimirū simul datur intelligi, omnino implendā esse; non em̄ angeli autores, sed ministri legis erant, per quos ordine ad nos ueniret, Rumpatur ergo ordo ille, & iam non sit inter deum & hominē mediator angelus, sed ipse qui p angelos ordinat, & nos longe sibi habet, ipse inquā ueniat, & legē nos doceat, cuius uerba erunt spiritus & uitæ uerba. Nihil em̄ proficit, quod nuncios quoscūq; mittit, nisi ipsemet uenerit. Sit ordinata per angelos, sed non in manu angelorū, immo mediatoris alicuius, qui reos per legē absoluat & iustificet. Nam hoc intelligo, In manu mediatoris, ut ipse legem per angelos ordinatam, in potestate habeat solus, non subiectus legi, ut cui ipse nihil debeat, & quem uolet, ab eadē liberet. Nos uero ipsa lex in manu habet, & subiectos per peccatum. Quibus omnibus id uult, impossibile esse, nos per nos saluos fieri, facile autem esse per manum alterius, scilicet mediatoris. Quod si quis putet sic intelligendū, ordinata per angelos in manu, id est, potestate, & imperio mediatoris, non resisto, nisi quis putet simpliciter, per mediatorē intelligi oportere Moysen, q; sit mediator ueteris, sicut ad Heb. Christū melioris, & noui testamenti mediatorē appellat. Iam illud: Mediator autē unius non est, ex nomine mediatoris concludit, nos adeo esse peccatores, ut legis opera satis esse nequeant. Si (inquit) lege iusti estis, iam mediatore nō egetis; sed neq; deus, cū sit ipse unus, secū optime cōueniens; Inter duos ergo quæritur mediator, inter deū & hominē, ac si dicat: Impijissima sit ingratitude, si mediatorē reijcitis, & deo qui unus est, remittitis, reijcitis autē, si iustificari potestis ex lege, ita fiet, ut nec uobis mediator esse possit, ut qui nolitis, nec deo, ut qui non egeat. Proinde, iam lex in manu uestra quoq; erit, & non sic ordinata p angelos, ut per mediatorē

In manu mediatoris.

NOTA

In manu mediatoris.

Christus mediator.

Mediator aut unius non est.

mediatorē



mediatorem impleatur, sed prorsus impleta per uos ipsos. Si quid profundius later, alij quærant: ego mea uela colligo.

Lex ergo aduersus promissa dei: Absit.

**Vide quæso.** Sic enim soluta una quæstione, aliam sibi suscitauit. Si enim lex transgressiones auget, iam irritare promittentis bonitatem uidetur. Hoc uerum esset, si promissio benedictionis inniteretur legi, aut iustitijs nostris in lege. Nunc uero soli ueritati promittentis nititur: ideo lex non aduersus promissa dei, immo promissis dei. Quomodo? Quia dum peccata ostendit, & conuincit non posse per eam quenquam iustificari: quin & augeri peccatum per eam cõtingit: iam eo magis promissionis impletionem quæri, inuocari, expectari cogit, ut multo magis necessariam, quæ dum lex non esset: tantum ergo abest, ut contra promissa sit, ut eadem uehementer commendet, & optatissima reddat ijs, quos suorum peccatorum cognitione humiliauit.

**Quid est legem peccatum augere** Si enim data esset lex, quæ posset uiuificare, uere ex lege iustitia esset. Id est, non est aduersus promissa, quia data est, ut occidat, & peccatum auget: hoc est, ut per legem homo agnoscat, quæ uehementer promissionis gratia indigeat, dum per legem bonam, iustam, sanctam, non nisi peior efficitur: ut sic non in lege nixus, fiducia operum legis securus fiat, sed longe aliud, & melius a lege quærat, id est, promissionem. Si enim lex uiuificare potuisset, iusti essemus: at nunc occidit potius, & peccatores amplius facit: atque hoc ipso, pro promissis facit, dum ea fortius optari cogit, & omnem iustitiã operum funditus destruit. Si enim non destrueret, promissionis gratia non quæreret, ingrate susciperet, immo repudiaretur: sicut fit in ijs, qui legem non recte intelligunt. Non destrueret autem, nisi non solum non iustificaret, aut uiuificaret, sed occasio quoque fieret plurimum peccatorum, & magis occideret. Nam prohibita concupiscentia semper irritatur, & maior fit. Idcirco & si aduersus promissa uideatur lex esse, dum auget peccatum, apud eos, qui peccatum per legem non agnoscant: Hoc tamen legis uitio non fit, quia ne lex quidem est, ubi non recte intelligitur: tunc autem recte intelligitur, quando peccatum per eam cognoscitur. Vbi autem intelligitur, & peccatum agnoscitur, ibi certe, pro promissis facit, quia & gratiam promissionis suspirari facit: simul ostendens, quæ nullo merito, sibi gratia debeatur, ut stet, & firmetur, per legis intellectum, purissima promittentis dignatio, & syncerissima exhibitæ dignationis gratitudo.

Sed conclusit scriptura omnia sub peccato, ut promissio ex fide Iesu Christi, daretur credentibus.

**Lex est causa transgressiõis posita.** Hoc uerbo ad utrumque respondet simul, quod lex sit causa transgressiõis augenda posita, non tamẽ per transgressiões auctas aduersus promissa dei. Omnes (inquit) sub peccatum conclusit deus, per scripturam: hoc est, per legem & literam, ostendit id, quod eramus peccatores, & impotentes ad iustitiam seu legis impletionem: ut sic peccato per legem manifestato, infirmitateque ad implendam cõuicta, cogeret humilitatos, de seipsis desperatos, trementes ad gratuitam misericordiam dei in Christo propositam, currere. Et sic daretur (ut hic dicit) daretur, inquam, non posuere. Daretur autem indignis, & per legem longe contraria meritis, promissio Abraham facta: hoc est, gratia benedictioque iustificatiõis, ex fide Christi omnibus, qui crederent in eum. Idem Rho. iij. Conclusit deus omnes sub peccato, ut omnium miseretur, & obstruatur omne os, & subditus fiat mundus deo, quia ex operibus legis non iustificatur.

ficatur omnis caro coram illo. Quomodo conclusit: per scripturas, per legem, per literam: Hoc est, quod supra fidenter de operibus legis exposuit, quod Moses scripserat: Maledictus omnis, qui non permanet in omnibus: Hoc est, quod Rho. ij. causari se dicit cum fiducia, Iudaeos & Graecos omnes sub peccato esse, Et illud psal. xij. constanter super omnes pronunciare: Non est iustus, non est intelligens, omnes declinauerunt, simul inutiles facti sunt: Hoc est, quod & Iudaeos de specie operum fidentes, ipse nihil aestimata specie, audet Rho. ij. reos diffinire. Eadem (inquit) facis, quae iudicas. Qui doces non furandum, furaris, scilicet cupiditate &c. Adeo certus erat, sicut & reuera certum est, omnia quae extra gratiam fiunt, peccata esse & meras simulationes. Ita & b. Augusti. illud Prouer. ult. tractans, de spiritu & litera. ix. Lex & clemētia in lingua eius praclarissime dicit. Propterea de sapientia scriptum est, quod gerat legem & clemētia in lingua: legem, ut reos faciat superbos; clemētia, ut iustificet humilatos. Stat ergo sententia, Omnis homo mendax. Stat sententia, Non iustificabitur in conspectu tuo omnis uiuens, ut stet simul, gloria dei, laus gratiae & magnificentia misericordiae suae. Nobis (inquit Dauid. ij.) confusio, deo nostro iusticia &c. Vides ergo, quid sit per fidem Christi iustificari, nempe per legem cognita iniquitate & infirmitate tua desperare de te, de uiribus tuis, de scientia de lege, de operibus, prorsus de omnibus, & cum tremore, ac fiducia in humilitate implorare solius Christi dexteram, seu manum mediatoris, fortiter credēs, quod gratiam consequaris, sicut Rho. x. ex Iohēle dicit: Omnis qui inuocauerit nomen domini, saluus erit. Simulque uides, totum genus humanū, quantum talibet sapientia, aut iustitia coram hominibus fulgeat, nihil esse, nisi massam perditionis & maledictionis. Quod & ex uerbo promissionis licet cognoscere: in semine tuo benedicentur omnes gentes. Quid est omnes gentes benedicendas esse, nisi omnes gentes maledictas esse? Ita iustificandas, saluandas esse, & quicquid nomine benedictionis significatur, est eas peccatrices perditas esse, & quicquid maledictionis nomine significatur. Est itaque lex posita, ut peccatū augetur. At non solum peccati augmentum quaesitum est, sed ut homo superbis, id ipsum cognosceret, & terreretur per legem, coactusque in sui desperationem, misericordiam sitiret. Sicut ille psal. xlj. Quēadmodum desyderat ceruus ad fontes aquarum, ita desyderat anima mea ad te deus. Itē fuerunt mihi lachrymae meae, dum dicitur mihi cotidie, ubi est deus tuus. Hinc omnis clamor, gemitus, desyderium patrum & prophetarum, & anxia Christi expectatio, & de legis onere grauissima quaestio. Lex ergo bona, iusta, sancta, sed non iustificat: ostēdit mihi quis ego sim, dum per eam irritor, & magis odi iustitiam quam prius, magis diligo concupiscentiam, quam prius, solo terrore minantis legis, coercitus ab opere malo, nunquam autē a concupiscentia mala. Et ut rem similitudine tibi tradam: Aqua bona est, sed superfusa calci, incendit eam, nunquid uitium aquae est, quod calx calefcit: immo calx quae frigere putabatur, per aquam conuicta est, quid intus haberet: Ita lex concupiscentias & odia irritat & ostēdit, non autem sanat. Si autem oleum calci superfuderis, non calefcit, sed extinguitur ardor eius occultus. Ita gratia diffusa in cordibus nostris per spiritum sanctū extinguit odium & concupiscentiam. Verbofissime haec dixi, quod nostro seculo, non satis queat ista res inculcari, adeo rursus inualuit tyrannus iustitiarum legalium. Verum tu obserua, si lex sanctissima dei non potuit nos iustificare, sed magis peccatores fecit: Quid facient maria ista nostrarum legum, traditionum, ceremoniarum in ecclesia: praesertim quando ea opinione seruetur,

NOTA.

Extra gratiā facta peccata.

Sententia.

Per fidē christi iustificari.

Similitudo.

Pp qua

Nota quæso  
cōmunē, sed  
pñciosum er  
rorem,

qua existimant sese iustificari in illis, nec scire pmittant, quid Christus, aut cum in eum credendum sit. Non enim utuntur eis legibus, ut peccatum per eas cognoscerent, neq; ut fidem Christi gratuita charitate exercerēt; sed seruatis eis, iustos sese confidunt, nec aliquo alio amplius indigere se credunt. Aut si gratiam Christi implorant, ad hoc implorant, ut opera eiusmodi facere possint, nō ut liberi fiant, ab interna carnis corruptione & immunditia. Itaq; ut sæpe dixi per imprudentes & tot infelices leges, necesse est, ecclesiam funditus perire, nisi si deus nobis remedium prouiderit.

Prius autem quam ueniret fides, sub lege custodiebamur conclusi, in eam fidem quæ reuelanda erat.

Lex carcer.

Omnibus (inquit) qui sub lege sunt, anteq; fide iustificentur, lex ipsa uelut quidā carcer est, in qua concludantur & seruentur. Quia ui & terrore legis arcentur a liberrate peccandi, inuita & reluctante concupiscentia, furit enim cōcupiscentia, & odit legem, carcerem suum, sed cogitur tamen ab operibus abstinere peccati. Hanc autem miseriam qui intellexerint, utiq; humiliati gratiam suspirant, nec possunt de legis iustitia confidere, quando sentiūt se inuitos ad legem, & pronos ad peccatū per legem fieri, mallent enim legem non esse, ut impune liceret concupiscentias explere. At hoc malle, est legem odisse; legem odisse, est ueritatem, iustitiam, sanctitatē odisse; hoc iam non solum est peccatum, uerum & amor peccati; non solum non esse iustum, sed odisse etiam iustitiam, quod est uere peccatum per legem augeri. Vnde b. Augusti. hoc loco, q; per legem præuaricatores legis ipsius inuenti sunt, nō ad perniciem, sed ad utilitatem ualuit eis, qui crediderunt; quia per cognitionem maioris ægritudinis & desyderari medicum uehementius fecit, & diligi ardentius. Cui enim plurimum dimittitur, plurimum diligit, & hoc Rho. v. Vbi abumdauit peccatū, superabundauit & gratia. Non ergo lex solum posita est, ut peccatum reuelaret & augetet, alioqui melius dilata fuisset ad extremum iudicium, ne duplici contritione contereremur, sed ut per peccatum reuelatū humiliaret, & ad Christum urgeret. Illud, Priusq; ueniret fides, non tantum de fide, quæ post Christum reuelata est, sed de omni fide omniū iustorum intelligitur. Nam & patribus olim eadem fides uenit, quia & lex dei eis primo reuelata, coegit eos gratiam dei quærere. Licet tum non ita per orbem prædicaretur, prædicabatur tamē priuatim per familias patrum. Item uide, ne sic contextum ordines; Conclusi in eam fidem, quasi in fide, uelut in carcere cōclusos intelligi uelit, cum hoc de lege affirmet; sed eramus conelusi carcere legis, & hoc in fidem, id est, ad fidem futuram; seu in hoc, ut fide futura liberaremur, quando lex carcere suo id fecit, ut per fidem optaremus liberari. Sicut supra, testamentum dei confirmatum in Christum, id est, ut in futuro Christo cōfirmaretur; & mox pædagogus noster in Christum, id est, ad Christum fuit.

Fructus legis.

Itaq; lex pædagogus noster fuit in Christum, ut ex fide iustificemur. At ubi uenit fides, iā non sumus sub pædagogo.

Lex ad Christum cogat.

Ordo contentus.

Pulchra certe similitudo. Pædagogus a puero & ago nomen habet, quod pueros agat & exerceat Sicut (inquit) paruulis pædagogus assignatur, qui lasciuientē refrenet atq; ita lex nobis data est, quæ cohiberet peccata. At sicut pueri solo timore disciplinæ coercentur, plerunq; & odiunt pædagogum, & liberi esse malunt; omniaq; faciunt uel coacti, uel blanditijs illecti; nunq; autē amore

Pulchra similitudo a pædagogo supra. Pædagogus ἀπό τοῦ αἰγερ τοῦ παιδός.

re rei

re re ipsius, nec libertate uoluntatis, ita qui sub lege sunt, timore minâs legis coercentur ab operibus peccati, odiunt legem, maluntq; & ipsi liberas cupiditates habere. Faciunt autem omnia coacti terrore pœnæ, aut amore temporalis promissionis illecti, nunq; autem gratuita, liberaq; uoluntate. Deinde, ubi pueri ad hæreditatem peruenerunt, intelligentes, q; utilis fuerit pædagogus, iam incipiunt diligere quoq; & laudare officium pædagogi, damnareq; seiplos, quod non libentes & uolentes obtemperarint. Nunc uero sine pædagogo, sua sponte faciunt hilariter, quæ sub pædagogo nolentes faciebant & inuiti.

NOTA:

Ita nos, fide acquisita, quæ uera est hæreditas nostra, Abrahæ & semini eius promissa, intelligentes, q; sancta, salubrisq; sit lex, q; foeda uero cupiditas, iam legem diligimus, laudamus, & mire probamus, rursum cupiditates nostras eo magis damnamus & uituperamus, quo magis lex ipsa placet. Et nunc hilariter & libenter facimus, quod ignoratibus tunc nobis, salubris lex, uel & terrore extorquebat foris, & tamē intus extorquere nequiuit. Hoc est, quod dicit, iam non esse nos sub pædagogo, postquã fides uenit: sed pædagogus amicus factus est, & a nobis honoratur magis, q; timetur. Iterum (ut dixi) caue, ne sic contentum legas, lex pædagogus noster fuit in Christo, quasi in Christo iam uiuentibus, lex pædagogus noster sit, ut nostra trãslatio habet, & sapere uideatur: hoc enim apostoli sensum penitus subuertit, sed sicut pueri sunt sub pædagogo ad hæreditatem: id est, quo erudiantur, ut ad hæreditatem pertingant: ita lex est noster pædagogus, ad Christum: id est, ut per legem acti & exerciti, ad Christum ad fidem, ad hæreditatem quarendã & suspirãdam paremur, lex enim (ut dixi) ad gratiam preparat, dum peccatum reuelat & auget, humilians superbos, ad auxiliũ Christi desiderandum. Et hunc sensum apostolus iuuat particula sequẽte. Ad Christum inquã, ut fide scilicet iustificemur, qui per legem peccatores fiebamus. Sic psal. lxxviii. Quoniã suauis est misericordia tua domine, Quare? quia amara est lex tua domine. Non ergo puer sub pædagogo manebit sed ad hæreditatem dulcis accipiendam erudietur, ita & lex gratiam dei dulciorem reddit, & cõmendat. Egregie itaq; finem legis declarat, non esse scilicet nostram iustitiam & impletionem, sed spiritum ad Christum, ut per fidem eius quærat impleri. At nostri iustitiarũ legum suarũ finem habent, ipsas leges & opera earum, nec eas ad Christum ordinant, sed in opera solum, ut in æternũ pereant cũ iudæis, quos imitatur, nec legẽ, nec opera eius intelligẽtes.

Ad Christũ;

Lex gratiam  
dei dulciorem  
reddit.  
In iustitiarũ  
os.

Omnes enim filij dei estis per fidem, quæ est in Christo Iesu.

Quia fides est ipsa benedictio, ipsa hæreditas Abrahæ, in semine suo Christo promissa, ideo qui fidem in Christum habet, hæreditatem dei habet. Si hæreditatẽ habet, iam non sub pædagogo, sed liber, & dominus, & hæres. At nullis datur hæreditas, nisi filiis, sequitur, quod credens in Christum, sit filius dei, ut Iohan. i. Dedit eis potestatem filios dei fieri, ijs qui credunt in noie eius.

Quicũq; enim in Christo Iesu baptisati estis, Christum induistis.

Declarat esse eos filios dei per fidẽ Christi. Baptismus (inquit) facit, ut Christum induatis. Christum autẽ induere, est iustitiam, ueritatem, omnemq; gratiam, totiusq; legis plenitudinem induere. Quare per Christum habetis benedictionem, & hæreditatem Abrahæ. Si autem Christum induistis, Christus autem filius dei, & uos eodem indumento filij dei estis. Est autẽ hic tropus apostolicus, quo & Rho. xiiij. usus dicit: Sed induimini dominum Iesum Christum. Ephe. iij. Induite nouum hominem, qui secũdũ deum creatus est, in iusticia &

Christum  
inducere.Tropus apo-  
stolicus.

P p ij sancti

& sanctitate ueritatis, Veritatis (inquit) quia sola lex sanctitatem & iustitiam simulationis induit.

Non est Iudæus, non est Græcus, non est seruus neq; liber, nō est masculus neq; foemina.

Sectarū ori  
go.

Christian<sup>o</sup> ē  
sine noie, spe  
cie, differentiā  
persona.

Attalus.

Iusti sine no  
mine.

In metientes  
sanctimoniā  
pfeccionibus.

Secte inserui  
ant fidei uni  
tati.

Non (inquit) ideo iustus es, quia Iudæus es, & legis obseruator: sed quia in Christum credēs, Christum induisti. Quid ergo ad Iudaismum trahimini per pseudapostolos? In Christo sicut persona Iudaicæ obseruantix non est, ita nec ulla alia. Humanarum & legalium iustitiarū est, per sectas diuidi, & penes opera discerni: aliud illis, aliud istis profitentibus, agentibus, sectantibus. In Christo omnia omnibus cōmunia, omnia unum, & unum omnia. Sic infra. v. In Christo Iesu neq; circumcisio aliquid ualet, neq; præputium, sed fides & noua creatura. Idcirco Christianus siue fidelis, est homo sine nomine, sine specie sine differentiā, sine persona. Psal. cxxxij. Ecce q̄ bonum & q̄, iucundum habitare fratres in unum. Vbi unitas, ibi nec species, nec differentia, sed neq; no-

men. Sic inelytus martyr Attalus, requisitus de nomine dei, optime respōdit Qui plures sunt, discernuntur nominibus; qui unus est, non indiget nomine. Et hac ratione uocatur ecclesia in scripturis, abscondita & occulta: & mire obseruatur, ut quoties describuntur iusti, sine unius sectæ, aut personæ uocabulo describantur, ut Psal. j. Quoniam nouit dominus uiam iustorum, non ait, iudeorum, uirorum, senū, puerorum, Et. xiiij. Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo? Responder, qui ingreditur sine macula, non ait, iudeus, huius aut huius professionis. Et Psal. cix. In consilio iustorum & congregatione, nō ait, sacerdotum, monachorum, episcoporum. Eodem iudicio dicendum de alia quacumq; persona. Quia deus personam non respicit. Non est ergo diues nec pauper, nec formosus nec deformis, nec ciuis nec rusticus, nec Benedictinēsis nec Cartusienēsis, nec Minoritanus nec Augustinēsis. Omnia hæc talia sunt, ut Christianum nō faciant, si assint; nec infidelem, si desint. Et profus in hoc cōcepta & facta, ut Christianum exerceant & meliorem faciant. Vnde hoc loco b. Augu. Ista differentia Iudæorum & gentium, uel conditionis, uel sexus manet propter corpus in hac uita mortali; ablata est autē p unitatē fidei in spiritu. Quia de illa non tātum apostoli, sed & ipse dominus saluberrimas tradiderūt doctrinas. Christus enim mandat dare cæsari, quæ sunt cæsaris; Apostoli, seruos obedire dominis suis, uxores subijci uiris suis, omnes uero magistratibus parere, cui tributum, tributum; cui honorem, honorem. At hæc omnia sunt personalia. Hoc solum queritur, ut ijs personis non contra unitatem fidei, sed pro unitate fidei seruiamus; ut non sit fortior dissimilitudo externæ conditionis q̄ similitudo internæ fidei; sicut pro dolor nunc inter titulos professionū, dignitatum, religionum, ecclesiarum, artium, gentium, regionum, familiarum, amicitiarum, fœderū, uidemus pugnas & lites infinitæ diuersitatis; ut uel hoc argumēto probatum sit, fidem in ecclesia prope extinctam esse, & solas laruas & (ut Isa. de Babylone dicit) pilosos, ululas, syrenas in ea bacchari.

Omnes enim uos unum estis in Christo Iesu.

Id est, in fide Christi unū estis, & si p corpis & huius uitæ necessitate necessesse sit in diuersas psonas diuidi, sicut multa mēbra, tñ unū corpus sub uno capite.

Si autem uos Christi, ergo semen Abrahamæ estis, secundum promissionem hæredes.

Quia

Quia dixit, induisse nos Christum, & unū in Christo factos: idē ergo quod de Christo dictum est, etiā de nobis propter Christū dictum intelligitur. Non enim potest Christus separari a nobis, nec nos ab illo, cū unum simus cum illo & in illo, sicut mēbra unū in capite, & cū capite uno. Vt ergo de alio q̄ Christo promissio dei intelligi non potest, Ita cū aliud q̄ Christus nō simus, de nobis quoq̄ intelligatur oportet. Vere ergo Abrahæ semē sumus, & hæredes, nō secundū carnem, sed secundū promissionem: quia illi sumus, de quibus in promissione fit mentio, de gentibus inquā, in semine Abrahæ benedicendis. Sic Rho. x. filij p̄missionis æstimatur in semine. Nō qui filij carnis, hi filij dei &c.

NOTA.

## CAPITVLVM QVARTVM.

**D**ico autem, quanto tempore hæres paruulus est, nihil differt a seruo, cum sit dominus omnium: sed sub tutoribus & actoribus est, usq̄ ad præfinitum tempus a patre.

Adhuc alio ariete pulsat iustitiam & opera legis, sumpta iam tertia ex hominibus similitudine, propinqua priori, de pædagogo similitudini, ut de eodem paruulo, sed & illa de testamento ad paruulum, aut ad haredē saltem pertinet, adeo locuples est apostolus in declaranda promissione dei. Primum, hæres paruulus non differt a seruis, æque potestatem nō habens in bonis paternis, ac seruus. Secundo, est tamē dominus omnium, in spe & nūcupatione patris. Tertio, sub tutoribus & procuratoribus est, usq̄ ad præfinitum tempus a patre. Siue hic apostolus leges Rhomanas sequitur, siue alias, nihil refert. Nam, ut Hieronymus dicit legitimum tempus haredis, legibus Rhomanis uiginti quinq̄ annorū terminatur. Nos quantū fat est, exemplo utemur.

Exēplis quantum facis utendum.

Ita & nos cū essemus paruuli, sub clemētis mūdi eramus seruiētes.

Reddit singula singulis. Paruulus hæres nos sumus, Tutores sunt elementa mundi. Nihil differimus a seruis, quia eramus seruiētes. Et tamen domini fuimus omnium, prædestinante scilicet patre coelesti. De haredibus & hareditate abunde satis est dictum, Esse uidelicet haredes semen Abrahæ; id est, Christum & Christianos. Hæreditatē autē gratiam & benedictionem fidei Christianæ in gentibus. De seruitute autē haredum, alijs uerbis superius dictum est. Serui em̄ sunt, qui non pro hareditate patrisfamilias, sed pro mercede seruiunt, aut etiā timore pœnæ coacti opera faciunt; ideo ut Christus ait, Seruus nō manet in domo in æternum, filius autē manet in domo in æternū. Quod pulchre figuratum est Gen. xxj. quādo filius ancillæ Ismael eiectus est, datis ei uicualibus. Et. c. xxv. Dedit Abraham cuncta quæ possederat Isaac, filijs autem concubinarum largitus est munera, & separauit eos a filio suo Isaac. Ita & nos, quādo citra gratiam in lege sumus, opera legis facimus seruiliter; hoc est, aut timore pœnarum coacti, aut temporali mercede allecti. Quibus tamē omnibus ita erudimur, ut ad hareditatem, id est, fidem & gratiā suspiremus, qua de seruitute hac erepti, libertate spiritus legem impleamus; nō iam timētes pœnā, aut cupientes mercedem, id est, nō amplius seruiētes. Interim sumus domini omnium, prædestinante & preparante deo nobis hanc hareditatē, & nos per seruilē timorē pœnæ, & amorē rerum, quæ sunt in lege erudiente, ut illam appetamus. Nequaquā autē in seruitute cū iudaicis & hypocritis perstemus; quod fa-

Hæredes. Hæreditas.

Serui.

Pp ij ciemus